

Caer. Ep. l. I. c. 23., Bongiovanni
l. 9. c. 2. tit. 3.

Vd.: *Thurif. Episcopi* (modus.)

26) SS. Papa celebrante.

*De secunda Thurificatione usque ad
Praefationem.*

Interim unus Acolythorum cum thuribulo et navicella accedit ad cornu Epistolae altaris et cum Papa dixerit: *Veni Sanctificator etc.* offert naviculam Diacono Latino et thuribulum Papae, qui imponit incensum dicens: *Per intercessionem etc.* Deinde Pontifex accepto thuribulo de manu Diaconi incensat primo oblata, Diacono pedem calicis tenente, deinde altare more consueto; et demum in cornu Epistolae reddit thuribulum Diacono; et accepta mitra stans ibidem a Diacono praedicto incensatur; et mox accedentibus ministris et nobili cum aqua tertio lavat manus more consueto. Interim vero Diaconus Evangelii, ut Pontifex incensavit, primum Episcopum et Diaconos Cardinales assistentes juxta altare et Pontificem in suis locis stantes, postea omnes Cardinales, omnes reges et magnos Principes, si qui adessent; deinde Episcopos assistentes, incipiens ab illis, qui de libro et candelis serviunt; alii namque post Pontificem inter altare et solium circulum faciunt; deinde dat thuribulum uni ex Subdiaconis cum superpelliceo adstanti, qui incensat primo Diaconum Evangelii stantem medium inter alios duos Diaconos assistentes, postea Praelatos omnes paratos, deinde alios more consueto.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. lib. II. tit. I. p. 73.)

27) SS. Papa assistente et Imperatore
praesente.

*De incensatione altaris et aliorum
ordinarie.*

Secundum consuetudinem Romanae

Ecclesiae in *Vesperis* semel tantum fit incensatio, id est, ad *Magnificat*, et tunc incensat Papa altare, incensatur ipse et deinde alii omnes. In Missa post Confessionem incensat altare Celebrans, incensatur ipse et Papa tantum. Ad Evangelium Diaconus incensat librum in principio, in fine Papa solus incensatur, et eo absente Celebrans tantum. Post Offertorium Celebrans incensat oblata et altare, incensatur ipse, deinde Papa et demum omnes alii ordines capellae. Ad elevationem Sacramentum tantum incensatur. Incensatio autem fit hoc ordine. Acolythus sive Caeremoniarus accipit thuribulum cum prunis ardentibus e loco convenienti et ponit catenularum anulos in manu sua sinistra, ita ut dependeat thuribulum, naviculam autem incensi portat dextra cum apertura naviculae a parte exteriori et factis in tempore reverentiis altari et Papae, annuit Cardinali assistenti, qui e loco suo accedit ad dextram Papae et Caeremoniarus post eum accedens, ubi iterum genuflectit in plano ante Pontificem, surgit et naviculam dat in manibus Cardinalis assistentis, qui illam ambabus manibus tenens vertit aperturam, ubi est cochlear, versus Pontificem, dicens: *Benedicite Pater sancte.* Caeremoniarus autem interim cum dextra manu aperiens late thuribulum et per catenulas inter summitatem et infimam partem illud retinens, partem inferiorem, ubi sunt prunae, supponit manibus Pontificis, ita ut ipsa pars inferior aequetur naviculae in manu Cardinalis assistentis, et Pontifex capiens cum cochleari incensum tertio ponit in thuribulo interim dicens: *Ab illo benedicaris etc.* et in fine facit super illud signum Crucis. Cardinalis assistens interea stat inclinato capite et antequam Papa accipiat cochlear, illud osculatur et cum Papa illud accipit et

iterum dum reponit, osculatur ejus manum et demum reddit naviculam Caeremoniaro, qui, ut venerat, revertatur ad locum suum et similiter Cardinalis assistens. Caeremoniarus vadit ad altare, tradit thuribulum adolens Diacono Evangelii, qui illud ponit ad manus Celebrantis, anulos videlicet catenularum in sinistra et catenulas juxta summitatem thuribuli in dextra. Celebrans sine mitra stans ante medium altaris primo inclinatur caput versus altare, illi reverentiam faciens. Tum si sint ibi oblata, id est, calix et hostia, facit super ea ter signum crucis cum thuribulo, incipiens ab altari et ducens versus se et deinde in transversum. Tunc facit super eadem circulos duos cum thuribulo a dextra in sinistram et tertio e contrario, a sinistra in dextram. Deinde iterum se inclinatur cruci et elevatis manibus, tertio thuribulum tractim ducens illam reverenter incensat et rursus caput illi inclinatur. Tum incensatur bis imaginem a dextra parte crucis et toties imaginem a sinistra. Procedit deinde a sinistra et tractim incensatur superiorem partem altaris, sive sint ibi imagines sive picturae sive candelabra tantum. Si vero sint super altare imagines, incensatur cruce, quae est in medio, procedit ad sinistram partem crucis, ut diximus. Cum pervenit ad cornu altaris sinistram, ubi dicitur epistola, flectit manum, se inclinans aliquantulum dextrorsum et inferiorem partem ipsius cornu, bis ducens thuribulum. Tum assurgens vertens se incensatur superiorem partem superiorem usque ad cornu dextrum, ubi pariter se inclinans, incensatur, ut de sinistro diximus. Vertens se deinde incensatur inferius anteriorem partem altaris a dextro in sinistram et cum transit ante crucem, vertit se ad eam et illi caput inclinatur. Cum est in sinistro cornu, firmans se tra-

dit thuribulum Diacono et accipit mitram et a Diacono incensatur. Tum diaconus tradit thuribulum Cardinali assistenti, qui surgens vadit ante gradus solii pontificis et genuflexus supra infimum gradum incensatur pontificem sedentem cum mitra, ter ducens thuribulum, deinde reddito thuribulo diacono surgit et vadit ad suum scabellum. Diaconus autem stans ante eum inclinatur caput primo, deinde incensatur, bis thuribulum ducens. Et nota, quod haec incensatio, sive circa Papam sive Cardinales, fit tractim, modeste, quiete et sine strepitu ac sine properatione. Cardinales autem, antequam accipiant incensum, quisque semper invitat alium subsequentem, caput versus illum inclinando. Cardinalis assistens invitat diaconum a dextris et ille deinde suo tempore diaconum a sinistris, qui nullum invitat. Primus inter Episcopos Cardinales invitat subsequentem et sic in finem sedium Episcoporum et Presbyterorum. Quod si quis Presbyterorum esset in sede diaconorum, ultimus in prima sede invitat primum alterius sedis presbyterum, qui sedere debet in fine scamni, et ultimus inter presbyteros invitat primum diaconum sedentem in capite illius scamni. Incensato igitur Cardinali assistente diaconus Evangelii transeundo genuflectit ante pontificem et primo se inclinatur, deinde bis incensatur et iterum se inclinatur ante diaconum Cardinalem a dextris. Idem facit Cardinali diacono a sinistris. Deinde vadit ad primum Episcopum Cardinalem et quoties transit ante Papam, genuflectit, incensatur pariformiter et reliquos Cardinales, Episcopos primum tum Presbyteros et demum diaconos eisdem caeremoniis; nam singulis primo se inclinatur, tum bis ducens thuribulum incensatur, demum rursus se inclinatur. Idem facit regi sive principi, qui in eorum scamnis sedent.

Quomodo incensetur Imperator et alii.

Imperatorem autem non diaconus Evangelii sed primus Episcopus non Cardinalis assistens Papae incensat stans et bis thuribulum ducens et immediate post Papam. Alios omnes incensat Diaconus Evangelii, Pontifice non celebrante. Clericus Caeremoniarum ducit Diaconum incensantem, quem, si non est assuetus officio, instruit et genuflexiones atque inclinationes omnes primo facit. Si vero expertus est, factis primo reverentiis retrahit se ad partem et expectat ejus progressum, advertens tamen, ne erret. Incensatis Cardinalibus, si quis magnus princeps est in supremo gradu sedis pontificalis, ut puta, aliquis dux ex minoribus sive praefectus urbis sive Capitaneus Ecclesiae, aut frater sive nepos pontificis, quos pontifex vult honorare, incensantur ante assistentes, sed neque fiunt ante eum inclinationes, et semel tantum ducitur thuribulum. Post hos incensantur similiter assistentes Papae, deinde Vicecamerarius et Oratores Caesaris, si sunt praesentes. Tum senator urbis. Post eum Oratores Praelati, si inter eos sint aliqui regii. Inde oratores regum et principum non Praelati. Quod si Camerarius abest, incensantur Caesaris Oratores ante alios, ubicumque sint, deinde senator, tum Oratores Praelati, si sunt regii inter eos; sin minus, incipitur a laicis, si sunt regii et a caeteris paribus praelatis semper incipitur; neque refert, an potentior sit rex vel Princeps laici quam praelati, dummodo ejusdem dignitatis sint. Et ab hac parte, qua incipitur, praesentibus Imperialibus, incensantur omnes Oratores etiam minores et hoc etiam in Vicecamerarii praesentia observatur. Inde Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates, Generales Ordinum et poenitentiarum Papae, qui

omnes sedent in sedibus. Inde revertitur ad Solium pontificis et ibi incensat Conservatores Urbis, Barones et alios nobiles ibi sedere solitos; tum Subdiaconum apostolicum a dextris Papae et alios cappatos ab ea parte, deinde Subdiaconum a sinistris et post eum Auditorem, qui servit de Mitra Sanctissimo Domino nostro. Deinde alios cappatos, Subdiaconos, Auditores, Clericos Camerae et Acolythos, tum Cubicularios secretos et Secretarium, si est cum eis: inde Capellanum assistentem celebrantis, tum alterum Caeremoniarum Clericum et Subdiaconum Epistolae. Inde Cubicularios alios, Advocatos et Secretarios mixtim et demum Procuratores Ordinum. Si Magister Sacri Hospitii adest, qui stare solet apud finem scamni Presbyterorum Cardinalium, incensatur post nobiles sedentes circa pedes Papae. Post procuratores incensantur Capellani Celebrantis stantes in superpelliceis; deinde scutiferi Papae et alii Nobiles, qui sunt cum eis; tum Magistri Ostiarii et servientes armorum, qui sunt apud portam cancelli; reversus demum ad credentiam credentiarum et Caeremoniarum et ipse in fine a Caeremoniario incensatur.

De aliis incensationis ritum spectantibus.

Et nota, quod omnes, qui accipiunt incensum, debent stare et non sedere et esse capite detecto, exceptis Papa et Celebrante, qui cum mitra accipiunt incensum. Papa in principio Missae et post offertorium sedens incensatur. Advertat Diaconus et non incenset qui non assurgunt. Quando Papa celebrat, Acolythus servat de incenso et Diaconus Cardinalis Evangelii incensat Papam, Cardinales, Principes, qui cum eis sedent, et Episcopos assistentes. Inde ipse incensatur ab uno ex Subdiaconis apostolicis, non tamen

ab eo, qui cantat Epistolam, et ille incensat alios. In vesperis solemnibus papalibus cum paramentis Acolythus servit de thuribulo et incensat omnes praeter pontificem. Absente pontifice Capellanus assistens Cardinalis facientis officium debet incensare, sine pluviali tamen, nam illo in vesperis non utitur; in cujus locum si non est aptus, substituitur Subdiaconus Papae cum superpelliceo tamen.

(Catalanus, Caerem. Eccles. rom. l. II. p. 388—392.)

28) In Parasceve.

Vd.: *Parasceve* (incens.)

In Feria VI. Parasceves thurificanda sunt oblata; sed post thurificationem oblatorum non est iterum thurificandum ss. Sacramentum, ob cujus tamen praesentiam non est omittenda thurificatio Crucis: sed Crux et altare thurificanda sunt eo prorsus modo, quo fit in aliis Missis, non omissis debitis genuflexionibus transeundo ante ss. Sacramentum: Sac. Eit. Congr. in Panormit. 5. Jul. 1638.

29) A qua parte incipienda?

Vd.: *Incensatio* (a qua parte etc.?)

Ad dub.: Utrum in missa vel etiam in vesperis, quando hebdomadarius non sedet in choro, salutationes, thurificatio etc. debeant incipere ab ea parte, in qua sedet dignior ex praesentibus, vel ab ea parte, cui hebdomada contigit et cui apposita est tabella chori?

Resp. Ad vesperas quod attinet, thurificationes probabiliter incipiendae sunt ab ea parte chori, in qua sedet canonicus faciens officium, ubicumque is sedeat sive a parte evangelii sive a parte epistolae. Quod si non in prima chori sedet, sed in scamno a parte epistolae sedeat, pariter ab eadem parte incipiendum esse videtur ex caeremoniali episcoporum lib. II.

cap. 3. n. II. „Canonicus celebrans stans in suo loco, in choro, invitato prius ad honorem incensationis proximior canonico, caput inclinando, aut, si adsit, vicario episcopi, vel alio digniori, qui immediate post eum debeat incensari, incensatur a primo ex dictis presbyteris paratis etc.“

In missis autem semper a digniori parte chori incipiendum videtur, prout ex ipso caeremoniali lib. I. cap. XXIII. colligi potest. Ait enim n. 13., thurificantur oblata, altare, celebrans, episcopus et alii omnes eo ordine, quo infra dicitur.“

Qui autem debeat esse hic ordo declaravit n. XXIX. „Si forte aliquis S. R. E. Cardinalis esset episcopus suffraganeus, praesente suo metropolitano non Cardinali, thurificandus est prius ipse Cardinalis ob reverentiam dignitatis cardinalitiae;“ post praedictum thurificantur, si aderunt, protonotarii de numero participantium, deinde nuntii apostolici. Praelati non existentes in loco „eorum jurisdictionis, sed transeuntes, tum dignitates et canonici, secundum eorum ordinem videlicet primo dignitates deinde canonici presbyteri, tum diaconi, mox subdiaconi, si praebendae sunt distinctae etc.“

Quoad salutationes vero generatim ab omnibus haec regula traditur; vel celebrans sedet et tunc semper incipiendum est ab ea parte, in qua ipse sedet; vel celebrans est apud altare et tunc incipiendum a parte chori digniore, cum tamen plures salutationes ac reverentiae faciendae sint, habenda prae oculis est ratio tradita a caeremoniali episcoporum lib. I. cap. 48 n. 13. Ex quibus respondendum putarem:

Quoad thurificationes in vesperis, ab ea parte, qua sedet canonicus officium faciens; in missa a parte chori digniori. Quoad salutationes, ab ea

parte, in qua celebrans sedet; si celebrans est apud altare, a digniori parte chori, servata caeteroquin forma caerem. episcoporum lib. 1. c. 18. n. 13. —

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 352).

30) Populi.

Vd. *Incens. populi.*

Omnibus de more incensatis incensandus est a thuriferario populus ter, primo in medio, deinde versus latus Epistolae, quod est dextrum populi, tertio versus latus aliud cum honoris significatione et debitis reverentiis ante et post. Caeremon. Ord. Minor. part. 2. c. 9. n. 5.; *Bongiovanni* lib. 3. cap. 11., *Gavant.* loc. cit. lit. D. et alii passim juxta Missalis Rubricam lit. 7. n. 10.

Ter populum unusquisque Thuriferarius incipiendo in medio incensat peractis simul ante et post incensationem reverentiis et genuflexionibus debitis. *Caeremon. Ord. Minor.* part. 3. cap. 2. n. 1.; *Bongiovanni* lib. 9. cap. 2.; *Gavant.* in Epitom. tract. 1. part. 2. tit. 7. n. 23. et tractat. 2. part. 2. tit. 3 et alii.

31) Reliquiarum in processione.

Vd.: *Reliquiae.*

Gerunden.

Prior S. Mariae de Bisuldino quaesivit utrum liceat in ecclesia s. Vincentii martyris, dum celebratur officium de eo tamquam de titulari, exponere reliquias alterius sancti Vincentii presbyteri? Et utrum reliquiae, dum processionaliter deferuntur, licite per acolythum in via thurificantur? Et Sacra Congregatio respondit ad primum: non esse permittendum nisi apposita reliquiis tabella, in qua po-

pulus admoneatur, quod sunt unius Sancti diversi ab illo, cujus solemnitas celebratur. Ad secundum: servandum esse caeremoniale, in quo thurificatio per vias exprimitur tantum de SSmo Sacramento, sed in hoc mandavit non edi decretum. Die 13. Junii 1643.

(Anal. J. P. 1863 p. 294.)

32) SS. Sacramenti inclusi et expositi.

Vd.: *Incens. SS. Sacram.; SS. Sacram.* (thurif.)

Sanctissimum Sacramentum Eucharistiae in tabernaculo Altaris reconditum thurificari non debet, sed solum unicum genu tum in transitu tum in reditu inflectendum est ante ilud, dum thurificatur altare. At vero si fuerit ibidem expositum, incensatio illius debet a celebrante fieri genuflexo utroque poplite super gradu superiori suppedanei Altaris; *Gavant.* in rubric. Missal. part. 2. tit. 8. num. 10. §. Incensat. Et tunc non incensatur crux, quae immo adesse haud deberet in Altari; *Bauldry* in Manual. sacr. Caerem. part. 2. tit. 8. num. 9 art. 3. cum. 2 et rursus part. 3. cap. 20. num. 5.

33) SS. Sacramenti ad benedict.

Vd.: *Incensatio SS. Sacram. ad benedict.*

Ad dub.: In expositione Sacramenti SS. Eucharistiae, dum datur benedictio Sanctissimi a sacerdote, licet necne Thuriferario incensare Sanctissimum?

Resp.: Rituale Romanum tit. de processione in festo SS. corporis Christi praescribens ritum benedicendi cum SS. Sacramento nihil innuit de incensatione in ipsa benedictionis actu a Thuriferario facienda. Haec enim sunt ejus verba: *Sacerdos facta genuflexione cum Sacramento semel benedicit populum in modum crucis nihil dicens: postea illud reverenter deponat:*

quod statuit peragendum esse etiam in caeteris aliis benedictionibus cum sequenti rubrica: *Hic autem modus benedicendi servatur etiam in aliis processionibus faciendis cum ss. Sacramento.* Cum itaque nihil habeat rituale de Thuriferarii incensatione, haec profecto non erit admittenda, imo veluti abusus reprobanda, quia non convenit, ut post datam a sacerdote thurificationem, illico nova succedet incensatio per simplicem clericum aut laicum clericali veste ac superpelliceo indutum. Hac de causa Sacra Rituum Congregatio super eodem identico dubio interrogata in una Ordinis Minorum S. Francisci de observantia 11. Septembris 1847 respondit: *Servetur Rituale.* Reponi tamen posset, quod si SS. Sacramentum incensatur a Clerico ad elevationem in missa solemnem, hoc idem exequi potest in benedictione. Haec autem difficultas evanescit, si paulisper consideretur diversitas casus, quae unam et alteram actionem intercedit. Siquidem in prima cum thurificatio praescripta sit, ministris sacris in actu ministerii occupatis, nemo alter adest, qui incensare possit nisi caeremoniarius vel thuriferarius, quod incensandi munus in missis defunctorum competit subdiacono, qui in casu patenam non sustinens liber est et dignior caeteris, qui inserviunt: in altera vero cum thurificatio ab ipso sacerdote peracta jam sit, eam reiterare non convenit. Hinc allato dubio putarem renovandum decretum 11. Septembris 1847 in Veronen. ad 9, in quo Sacra Congregatio requisita: *utrum conveniens sit, quod Caeremoniarius aut Thuriferarius incenset ss. Eucharistiae Sacramentum quum populo benedictio impertitur, uti fit in elevatione ss. sacramenti in Missa solemnem?* respondit: *Non praescribi.*

S. C. resp.: Non praescribi et servandam consuetudinem locorum.

Die 7. Sept. 1861.

(Anal. J. P. 1863. p. 2245.)

34) A thuriferario facienda.

Vd.: *Incens. laicorum; Thurif. populi.*

Si altare, in quo canitur Missa, longius distet a choro, thuriferarius pro diacono ad ipsum incensandum se conferet, nisi in choro superior aliquis praecipuus adesset, aut magnus Praesul; quia tunc convenientius id praestare debet Caeremoniarius comitatus a thuriferario: *Caeremonial. Ord. Min.* part. 2. c. 9. n. 4.; *Alcoyer et Bauldry* par. 1. c. 9. art. 1. et alii.

Domini locorum minorum et Magistratus insensari poterunt a Thuriferario duplici vel unico ductu pro qualitate personarum; illi videlicet, quibus proprium scamnum seu sedes ab aliis distincte, incensandi sunt juxta laudabilem consuetudinem in toto incensationis ordine ac ritu ad pacem tam laicorum quam clericorum conservandam. *Caerem. Episcop.* lib. 1. cap. 23; *Caeremon. Ord. Minor.* part. 2. cap. 9 et part. 3. c. 2., *Bongiovanni* lib. 3. cap. 11, *Castald.* in Epitome part. 2. tract. 1. tit. 7., *Sollac.* Aphorism. part. 2. Cer. 3. pag. 128., *Gavant.* loc. cit. lit. C. et alii passim.

Quando Chorum incensat Thuriferarius, potest illum incensare vel in communi transeundo ante sedilia vel singillatim Patres et alios suo ordine facie ad faciem, juxta laudabilem ejusque provinciae consuetudinem: *Caerem. Ord. Minor.* part. 3. cap. 2. n., *Bongiovanni* lib. cap. 2. et alii. Quando duo sunt Thuriferarii, quisque a parte sua incensat unum ex assistentibus et postea cantores per ordinem duplici ductu; sicque etiam quisque suo thuribulo incensat suam partem chori

vel singillatim patres et alios suo ordine facie ad faciem cum debitis reverentiis ante et post, vel in communi transeundo ante sedilia, una simul egredientes ad planum chori, ubi ceroferarios per ordinem incensabunt.

35) In Vesperis a quo facienda?

Canonici et Beneficiati ac Magistratus in Vesperis, quando assistunt Beneficiati cum Pluvialibus, thurificandi sunt per aliquem ex dictis Beneficiatis assistentibus Pluviali indutis: S. Congregatio Rit. in Turritana 5. Julii 1671 apud Pitton. Constitution. ad Canonicos num. 514.

36) Vicarii apostol.

Thurificatio cum triplici ductu non debetur Vicario apost. S. C. Ep. in Melphien. 28. Aug. 1689., *Monacell.* t. 4. Suppl. ad 2. t. n. 19.

37) Vicarii gener.

Vd.: *Thurificatio Canon.; Vicarius gen.; Incensatio Cleri* (ordo).

Thurificatio duplici non autem triplici ductu debetur Vicario generali sedenti in choro, licet supra Canonicos et sit Praelatus: S. Congr. Rit. in Nepesina 14. Januarii 1617 apud Barbos. in summ. ap. decis. verb.: *Thurif.* 16. et tract. de Canonicis cap. 34. num. 29.

Consuetudo, uti Vicarius generalis thurificetur ante Canonicos, servanda est, sive qui thurificat sit Canonicus sive Acolythus: S. Congr. Rit. in Alexandrina 15. Martii 1609 apud Barbos. l. c. verb.: Consuetudo circa thurificationem num. 1.

Consuetudo loci vel Ecclesiae servanda est, ut Vicarius generalis sit thurificandus et debeat accipere Candelam, cinerem, palmam et adorare

crucem ante vel post Capitulum: S. Congr. Rit. in Neocast. 19. Januarii 1607 apud Barbos. l. c. n. 2.

THUS.

1) Benedictio.

Vd.: *Incensum.*

2) Benedictio praes. Episcopo.

Audomaren. in Flandria.

Pro parte Episcopi Audomaren. in Flandria iterum supplicatum fuit S. Rituum Congregationi declarare: An liceat abbatibus benedicere thus in Ecclesiis propriis sive aliis quamvis exemptis a jurisdictione ordinariorum praesentibus Episcopis. Et S. eadem Congregatio respondit: Non licere. Die 16. Junii 1674.

Anal. J. P. 1865 pag. 1184. num. 1988.

3) Impositio.

a) Ab Episcopo assist.

Vd.: *Episcop. assist. miss. sol.*

Si in presbyterio vel in choro, ubi benedicendum est incensum, adsit Episcopus dioecesanus vel aliquis eo major, tunc spectat ad ipsum incensum imponere et benedicere, ministrante thuribulum primo ex Assistentibus cum debitis osculis et dicente: *Benedicite Pater Reverendissime*; et si erit *Cardinalis*: *Pater Eminentissime*; et thurificatur triplici ductu, *Celebrans vero duplici. Caeremon. Episcoporum.* lib. 1. cap. 23., *Caeremon. Ordin. Minor.* part. 3. cap. 2. n. 5. et p. 4. cap. 7. n. 11., *Bongiovanni* lib. 3. cap. 11. et lib. 9. cap. 2., *Gavant. et Merati* tom. 2. sect. 10. cap. 3. n. 15. et alii passim. Si autem ad *Vesperas* est praesens Generalis aut Provincialis in sua provincia seu Episcopus dioecesanus vel alius eo major,

5) Modus imponendi.

Vd.: *Incensum; Assistens; Diaconus; Osculum* (modus etc.) *Reverendissimus; Navicula; Thurificatio* (Papa assistente etc.)

Assistens vel Diaconus accipit de manu Acolythi naviculam semiapertam et cochlear in ea existens cum osculo cochlearis et manus Episcopi et offert eam Episcopo dicens: *Benedicite Pater Reverendissime*; Episcopus vero accepto cochleari sumit cum eo ter ex navicula thus illud, ter etiam in thuribulum mittit dicens interim: *Ab illo benedicaris, in cuius honorem cremaberis.* Quo facto ac reddito cochleari eidem ministro, qui rursus manum et illud osculatur, ipse Episcopus format manu dextera signum crucis super thus in thuribulo. *Caer. Ep. l. I. c. XXIII. n. 2.*

TIBIA.

Tibia non est reliquia insignis. N 2170 die 3. Junii 1662.

TIBIALE.

(Canonicorum.)

Facultas Dignitatibus et Canonicis Collegiatae Ecclesiae Valentinae Bracharensis Dioecesis gestandi tibialia et zonam violaceam ac fasciolam viridem in pileo in perpetuum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris et Altissimo famulantibus in augustioribus templis peculiaria ornamenta deferenda interdum concedimus, ut ipsi vel per externas huiusmodi honorificentias excitati internarum splendore virtutum praelucere in domo Domini magis magisque nitantur.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis dilecti

tunc expedit quod Celebrans incensatur apud altare sicut in Missa triplici ductu in cornu epistolae et inde revertatur ad chorum, ubi fiet incensatio de more secundum dignitatem et ordinem omnium ibi existentium: *Caeremon. Ord. Minor.* part. 3. cap. 3. n. 6. et part. 4. cap. 7. n. 11., *Bongiovanni* lib. 9. cap. 2. et alii.

b) Verba dicenda a Diacono.

Vd.: *Incensum; Thus* (impos. ab Episcopo etc.)

Diaconus ministrans thus *Canonicis* celebranti, ut benedicat, debet dicere: *Benedicite Pater Reverende*, et non *Pater Reverendissime*: S. Congr. Rit. 4. Apr. 1699. Si autem Celebrans sit *Episcopus*, debet dicere: *Pater Reverendissime*, ex *Caerem. Episcop.* lib. 1. cap. 23. Et nonnulla Caeremonialia Regularium relata a Francisco Maggio in lib. de offic. chori opuse. 4. disquisit. 23. praescribunt etiam Abbatibus, Generalibus seu Praepositis pariter Generalibus, in tali circumstantia debere dici a Diacono: *Benedicite Pater Reverendissime*. Sic eruditissimus Pater Merati tom. 1. part. 2. tit. 4. num. 19. Si vero celebrans sit *Cardinalis*, dicit: *Benedicite Pater Eminentissime*, ut tradit dict. Merati loc. cit. tit. 14. n. 26., sicut celebrante *Summo Pontifice*: *Pater Beatissime*.

4) In consecratione altarium.

Vd.: *Consecratio altarium plurium*, (modus, decr. n. 4565 ad 5); *Incensum*.

5) Materia.

Materies (thuris), quae adhibetur, vel solum et purum thus esse debet suavis odoris, vel, si aliqua addantur, advertatur, ut quantitas thuris longe superet. *Caer. Ep. l. I. c. XXIII. n. 3.*